9.

THESES
PHYSICO-MEDICÆ,

QUAS

Publicè propugnandas tradit

JOANNI ANTONIO MAZZUOLIO

CIVI SENENSI,

ET

ACCADEM. PHYSIOCRITICO.

OCTAVIUS NERUCCIUS

PHIL. ET MED. DOCTOR

Nec non in Senensi Accademia Theor. Med. Publicus Professor,

ACCADEMICUS PHYSIOCRITICUS,

ET

FLORENTINUS.

SENIS Typis Publicis MDCCXLII. *Præsidum permissu.*

ILLUSTRISSIMIS DD.

ANTONIO FELICI CHISIO

MARCHIONI S. QUIRICI &c.

ET

ALEXANDRO ZONDADARIO

JOANNES ANTONIUS MAZZUOLIUS S.



Ullum sanè observantiæ meæ luculentius testimonium me exhibiturum putavi, erga Nobilissimos Parentes, Majoresque vestros Splendidissimos, quibus me, meosque omnes maximis obstrictos beneficiis profiteor, quam meos hosce, qualescumque fuerint labores, vobis dicare; Vos enim deliciæ Parentum, Vos MAGNI PATRUI Doctissimi, ac Religiosissimi

Senarum Pontificis Solatium, vos tantæ, tamque illustris Familiæ spes, atque columen, vos demùm Patriæ totius decus, atque ornamentum. Quamobrem licèt nunc Majorum gloria, ac splendore vos tantummodo spectandos esse cognoverim, tamen inter tot Familiæ decora, inter clarissima Dignitatum ornamenta, quibus multis ab hinc annis CHISIA, & ZONDADARIA GENS floruit, demùm in luce tanta virtutum, atque exemplorum, quantùm a vobis in tempore expectari fas sit, certa cogitatione in posterum prospicere satis, ac prævidere possum. Ea enim in Domo nati estis, in qua, aut Religionis in Deum, aut caritatis in Patriam, aut in Cives, & in omne genus hominum benevolentiæ documenta vobis occurrunt splendidissima, sub tam faustis penetralibus, atque apud eos Parentes educamini, qui traditam a majoribus gloriam sua virtute tuentur, atque amplificant in dies magis, quorum vobis quotidiè obversantur sanctissima exempla, & optimæ ad omnem probitatem institutiones proponuntur. PATRUUM denique præclarissimum ad hanc fortasse diem servarunt Superi, ut ea fere omnia pietatis, prudentiæque semina, quæ ab EO Parens optumus hausit, quæque adulta jam, & ad uberrimam perducta maturitatem sibi ipse gratulatur, in vestros animos quasi trajecta nunc primùm erumpere, ac tenero veluti in

in germine in spem egregiæ fœcunditatis succrescere, summa cum voluptate prospiceret. Patria ipsa gestire mihi, ac lætitia efferri videtur, cum Vos ita natos, ita educatos videat, ut quam Heroum segetem ex una Domo hactenus progigni sensit uberrimam, eam in posterum geminato proventu duplici ex Gente, atque ex Stirpibus felicissimis, quasi in immensum excreturam spe certissima auguretur. Hoc itaque grati animi mei argumentum, quod ego hodierna die publica hac significatione vobis exhibere audeo, ita excipiatis rogo, ut cetera inter ornamenta, quæ a Majoribus accepistis, meum quoque, studiorumque meorum patrocinium, hæreditario quasi jure accepisse videamini.

De somno, & vigilia.



NA inter leges, quas ad hujus Mundi fabricam diutius conservandam condidit sapientissimus rerum Omnium Creator, ea est, quæ alternam singulis ferè corporibus actionem, & quietem indicit, cujus necessitas, quamvis ab hominibus parum perspecta fuerit, eam tamen, si plurima, quæ in hoc Mundo quotidie usuveniunt, attentâ consideratione circumspexerimus, tanquam summum providæ Naturæ beneficium, ne brevì cuncta corruerent, mortalibus concessam fuisse fatendum erit. Quid enim commodius, quid jucundius a naturâ potuit excogitari, quàm quòd universa animantium corpora laboribus fessa vigiliarum tempore, somno postea, & quiete exhaustas vires recrearent? Quid utilius, quàm quòd omnia plantarum genera, postquam vere in emittendis frondibus, floribusque gignendis laborarunt, æstate, & autumno in producendis, maturandisque fructibus vigilarunt, hyeme demum somno veluti demersa quiescerent, ut novam succorum materiem, ad consuetos usus colligerent, ac renovarent? Hinc constans diei, noctisque vicissitudo facta est, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi, hinc solis, lunæque ortus, & occasus natura instituit, ut certo non modò temporis intervallo, vigiliarum, & somni vicissitudinea

dines circumscriberentur, sed, ut eorum necessitas ferè in rebus omnibus magis, magisque innotesceret. At vero, quoniam nemini magis eorum commoda, eorumque utilitatem intelligere datum est, quàm hominibus, qui, ut sese studeant præstare cæteris animantibus ad investigandas quotidiè rerum naturalium latentes causas animum applicant; idcirco non abs re esse, neque alienum existimo duplicis vigiliarum, somnique status causas, & effectus in homine perpendere, ut ea, quæ ex illorum accuratâ consideratione elici possunt, vel ad medicæ artis usum utilia, vel ad ejus saltem certiorem cognitionem acquirendam accomodata, probè intelligantur.

Vigiliæ igitur status dicitur ille, in quo externorum, internorumque sensuum organa, nec non voluntariorum motuum instrumenta ita se habent, ut consuetos motus facilè exercere valeant, atque ab universis corporibus, quæ extra nos posita sunt, affici facilè possint. Quare in vigiliâ, non modò æquabilis requiritur spirituum in cerebro secretio, eorumque ad organa sensus, motusque assiduus *influxus*, quod, & somni tempore quoquo modo fieri non levis est conjectura, sed ut ii, datâ occasione ferri possint majori copiâ, modò ad motum muscularem præstandum, quoties è cerebro per nervos ad nonnullos musculos majori velocitate propellantur; modò ad sensus tum efficiendos, tremulum, atque *oscillatorium* motum ab externis corporibus in organa sensuum impressum in se facilè concipere valeant, necesse est. Etenim constans opinio est, atque omnium recentiorum Philosophorum firmata consensu, tremulum, atque *oscillatorium* tantùmmodo motum sensibus efficiendis à natura esse destinatum, qui, quia motu à progressivo, ut ajunt, particularum excurrentium motu proficisci videatur in firmis æque, ac fluidis corporibus

bus, eum tamen, & diversum ab eo esse constat, & ab eo separari posse experimenta nobis suadent; nam si fluentem aquæ frigidioris rivulum consideremus, eum levis cujusdam murmuris sonitum edere inter currendum audiemus, qui, si aqua fuerit ebulliens, ferè totus amittitur; sic ferrea virga, dum friget, percussa sonat, calefacta verò, dum tota candescat, etiamsi percutiatur, & singulæ ejus partes, progressivo ut ajunt motu concutiantur, obmutescit tamen, nec, ut antea, tinnulus ejus sonitus aures nostras perstringit. Quod si horum effectuum causas, eorumque originem scrutari velimus, non modò ita se habere comperiemus, sed peculiarem de sensibus doctrinam nos inde elicere posse confidimus.

Aqua (ut unicuique animadvertenti patebit) tantummodò murmurat, cum, vel ex alto delapsa, in aliquam firmioris cujusdam corporis superficiem offendit, vel cum frangitur inter saxa, quia tunc defluentes ejus particulæ, statim ac in adversum obicem incurrunt, non modò unà simul inter se omnes, sed earum singulæ in minimis suis elementis ab illâ percussionis vi non nihil concutiuntur, ex quo fit, ut tremulus quidam motus, alius ab eo, quem antea profluendo acceperant in iis excitetur, qui aeri statim communicatus, & per eum ad auditus organa usque delatus, murmurantis aquæ sonitum animo representet. Sensum igitur murmuris, non a *progressivo*, sed ab oscillatorio motu excitari fatendum erit. Verum, ut luculentius appareat, quomodo hic spiritibus communicetur, satis erit, ut unusquisque animo sibi fingat, id ipsum spiritibus evenire, atque organo ab externis corporibus variè affecto, quod & aquæ decurrentis particulis contigisse superius demonstravimus. Nam, quemadmodum illæ in adversum obicem inter fluendum occurrentes, novum ex occursu osci-

oscillationis motum adipiſcuntur, ipſumque vicinis corporibus communicant, ita ſpiritus, quibus ſenſuum organa turgent, a leviſſimo quovis externorum corporum attactu variè afficiuntur; & perinde ac ſi, velut aquæ particulæ in obicem quemdam ipſi quoque offenderent, leviter ab attactu concutiuntur, ita ut, non impedito eorum curſu, tremulus in iis motus excitari poſſit, qui, ob immediatum contactum tot ſolidiſſimarum ſphærularum quibus ſpiritibus conſtare creduntur, illicò ad animi ſedam delatus, ipſum de externis corporibus, eorumque diverſis qualitatibus, pro vario ipſorum attactu, mediato, vel immediato, pro variâ ipſorum figurâ, duritie, & pro vario præſertim ipſorum motu in extremitatibus nervorum ſenſoriumm conſtituentium, juxta Sapientiſſimi Conditoris legem commonefaciet. Quod verò ebulliens aqua maximam illius murmuris partem amittat, uti ſuperius dictum eſt, hoc mirum videri non debet, ſi conſiderentur ignis vires, univerſa ferè Corpora expandendi, etiam duriſſima, ſimulque aerem ex penitioribus eorum adytis abſconditum educendi, ex quibus fit, ut aqueæ tunc particulæ, admixto aere ſpoliatæ, multumque inter ſe diſſidentes factæ, quamdam veluti vim ſe repellendi adipiſcantur, ita ut in aliquod Corpus occurrentes, etiam ſi ſingulæ ex occurſu oſcillatorium motum concipere valeant, is tamen, cùm ob nimiam inter eorum ſingulas diſtantiam, tùm ob aeris intrinſecùs admixti defectum, nimiamque illius, quâ extrinſecùs ambiuntur raritatem, ab ipſomet aquearum partium calore productam, brevì periturus diſſipabitur, quemadmodum circa ſonum experimenta in vacuo Boileano inſtituta affirmare videntur; quod & ſolidis nervorum partibus aliquando etiam contingere, ii fortaſſe opinari facilè poſſent, qui eadem, quæ de aqueis particulis dicta

ſunt

sunt, etiam ferreæ virgæ supra memoratæ convenire animadverterent, si solidi nervorum parietes ad hujusmodi motus *oscillatorii* spiritibus jam impressi propagationem aliquid conferre tutò affirmari potest.

Itaque ex iis omnibus, quæ superiùs dicta sunt, non solùm vanitas statim apparet tot hypotheseon, quas de sensibus somniavere tùm veteres, tùm recentiores Medici, quásque longum esset singulas recensere, sed præterea facilè quoque explicatur, quomodò in paralysi, superstite aliquando motu, sensus omnino extinguatur, cui tantò minorem spirituum copiam sufficere constat, si considerantur spiritus ab aliquâ causâ, cognitu fortasse difficillimâ, ita vitiari posse, ut ad *oscillatorium* quidem motum, a quo sensus fieri demonstravimus, concipiendum, inepti prorsus reddantur, etiamsi liber ad partes eorum fluxus habeatur, eorumque ad musculos influendi sufficiens copia, & motibus ritè obeundis idonea, quare supervacaneum omninò censendum est, quod excogitarunt nonnulli, qui ut peculiare hoc phenomenon quod frustra medicorum usque adeo torsit ingenia, facilè explicarent, diversitatem inter nervos sensibus, motibusque efficiendis destinatos necessariam esse opinati sunt, quæ non modò inutilis, sed, tanquam simplicitati naturæ minus accomodata, videtur reiicienda.

Ab *oscillatorio* itaque hoc motu, qui, pro corporum externorum, eorumque qualitatum varietate, semper varius esse solet, sensus in corporibus, motus verò a *progressivo* fieri putandus erit. Sed quoniam vigiliæ status ex eo cognoscitur, quòd motus omnia animalis exerceatur, vel ex voluntate exerceri possit, sensusque, tùm externi, tùm interni sint ad percipiendum parati, idcircò, ut hæc omnia ritè peragi possint, quæ vigiliæ statum assi-

 duè

duè comitantur, necesse erit, ut spiritibus abundet corpus; adeò ut nervi omnes, uberiori eorum copiâ turgeant, nervorumque parietes, certo quodam tensionis gradu sint præditi; at quemadmodum, communi omnium corporum lege compertum est, quòd, sive in motu animali, sive sensibus exercendis, & quammaximè in studiis severioribus, aut animi affectibus, usu semper deterantur spiritus, ideo opus erit, ut cerebri medullares fibræ, hisque appensi nervi, & reliquæ fibræ, debitâ spirituum copiâ defraudentur; unde exinanita exilissima vascula collabantur, ac sensuum, motuumque voluntariorum organa expeditè, ac facile actiones suas exercere non valeant, unde fiet, ut sensus externi obtundantur primùm, deinde cessent, voluntarii motus retardentur primùm, deinde omninò desinant; organa ipsis destinata flaccescant, collabantur, ac paralytica fiant, & demum interni sensus inordinatè, nec ita vividè exerceantur, atque ita corpus universum a vigiliâ sensim deficiens, communem somni necessitatem experiatur, non prius tollendam, quàm absumpti spiritus fuerint instaurati, & debitâ ipsorum copiâ, cerebri, nervorum, & partium omnium fibræ irrigentur, quæ melius fieri nunquam poterunt, quàm somni tempore, quo chilosæ substantiæ uberior copia in sanguinem per thoracicum ductum deferri solet.

Sed quoniam de Chili in Sanguinem transitu per ductum Thoracicum sermo incidit, non abs re fore puto, priusquam somni utilitatem, ac commoda in medium proferam, Thoracici ductus fabricam, & rationem, quâ in Subclaviam sinistram influet chilosa substantia, breviter explicare.

Ascendit ductus Thoracicus, ut omnibus notum, perspectumque est, secundum longitudinem Thoracis propè

verte-

vertebras sub aortæ sinistro latere, donec in venam subclaviam sinistram inseritur, ubi semilunaria valvula aptatur chili regressum, & sanguinis *influxum* in ductum impediens, ita ut chylus substantiâ crassiusculus, & ad fluendum aliquantum iners, per planum verticale ascendere coactus, maximam non modò in ascensu resistentiam inveniat, sed neque semilunaris valvulæ vim sanguinisque supra ipsam excurrentis pondus superare posset, nisi solertissimæ naturæ beneficio, muniis, usque mira auxilia fuissent prædita, inter quæ, ut silentio præteream frequentes valvulas semilunares duplices, & è regione positas, quibus interna hujus canalis cavitas donatur, atque illud, quod à sinistro aortæ latere recipit, notandum est præterea eum angustiori diametro esse à natura fabrefactum, ut eo magis quoque attractionis lege facilior chili ascensus redderetur, quemadmodum recentiorum Philosophorum experimenta in tubis capillaribus demonstrant, quibus ferè vis trahens tantummodò exercens observatur. Docent enim Geometræ, ut unicuique constat, quòd in divisione solidarum sphærerum in alias minores, illarum gravitas decrescit in triplicatâ ratione suarum diametrorum, illarum verò superficies imminuitur in ratione tantùm duplicata, quod idem est, ac si diceremus, sphæras minores, minorem habere molem pro mensurâ propriæ superficiei, quàm habent sphæræ majores collatæ cum propriâ superficie. Imminutâ igitur, ob angustiam thoracici ductus particularum chili gravitate, earumque auctâ superficie, facile erit unicuique intelligere, quomodo inter ductus thoracici interiores parietes, & chilosarum particularum auctam superficiem, tandem augeatur vis attrahens supra earumdem gravitatem, ac proinde hac eâdem lege sursum ascendant, quâ reliqui nostri corporis humores in extremitatibus vasorum

forum capillarium fluere, præfertim tempora fomni, quo plurimis aualis deſtituitur eorum circuitus, alibi fortaſſe demonſtrabimus. Chilus itaque ita per thoracicum ductum aſcendens, priuſquam in ſanguinem influat, ſemilunarem quoque venæ ſucclaviæ valvulam ſuperare cogitur unà cum ſanguine ſupra ipſam excurrente, quod difficillimum ſanè videretur, niſi ex mechanica compertum haberemus, vires percuſſionis corporum eſſe, ut ſinus angulorum incidentiæ, qui ab ipſis met corporibus percutiendo fiunt. Cum igitur Thoracicus ductus, fere ad perpendiculum in ſucclaviam ſiniſtiam inſeratur, ſi inter ſe comparentur ſinus angulorum ipſius met ductus, ac proinde chiloſarum partium in valvulæ parietes ad angulos fere rectos offendentium, cum iis, qui à ſanguineis partibus valvulam prę terlabentibus, & acutiſſimis tantùm angulis, ejus ſuperficiem abradentibus, certum proindè erit, chiloſas particulas tantò percuſſionis vi, & valvulæ, & particularum ſanguinis ſuper ipſam excurrentium reſiſtentiam ſuperaturas, quantò ex ab ipſis angulorum ſinubus chiloſarum partium ſuperantur, undè facilè hac lege ſucclaviam ſiniſtram ingredientur.

Hoc igitur ſolertiſſimæ naturæ artificio ingreſſus ſanguinem Chilus, quis non intelligit, ſomni præſertim tempore ejus diſtributionem per univerſum corpus meliùs perfici, ac proinde, ſecùs ac in vigiliâ, amiſſarum partium reſtitutionem perfectiùs contingere? Dictum eſt ſiquidem paulo ante, muſculos voluntariis motibus deſtinatos in ſomno collabi, & flaccefcere, ac motus eorum ceſſare, ſecus ac iis accidat, qui a voluntate minimè pendent; motus enim Cordis, ac vaſorum nobis dormientibus fit fortior, latior, æquabilior, & lænior, ſimiliter reſpiratio ſenſim fit profundior, robuſtior, lentior, & æquabilior;

opor-

oportebit igitur in somno, solas cerebri fibras non cerebelli laxari, spirituumque fluxum a Cerebro, non a Cerebello impediri, quod a diversâ utriusque constitutione, ac fortasse etiam a spirituum ipsarum diversitate est repetendum; nam Cerebrum molle est, cavitatibus præditum, expansile, ac compressile, secus ac cerebellum, quod solidius, compactiusque est, nec cavum, neque expansile, aut compressile; unde perpetuò, fluunt spiritus per ejus fibras, indèque in nervos, & musculos naturalibus motibus destinatos; Omnia igitur, quæ a cordis motu, & respiratione pendent, perfectiùs in dormientibus exercebuntur, ac proindè meliùs, validiùs, & æquabiliùs humorum circuitus continget, cum liberiores, tunc, laxioresque sint canales, nec voluntariorum motuum impediti varietate; quod tamen de Canalibus majoribus, & a Corde non multùm dissitis intelligendum est; etenim in lateralibus & minutioribus vasculis, & a corde remotioribus humorum trajectio æqualiter quidem, sed languidior, & lentior est, ut quæ a fibrarum elatere tum languente, atque a musculorum voluntariorum actione tunc cessante fuisset excitanda; quare secretiones, & Perspiratio præsertim æquabiliùs quidem, sed minori in copiâ fieri necesse erit, quemadmodum contra Sanctorium, non modò plurimis experimentis staticis demonstravit Joannes de Gorter, & unà cum ipso Jacobus Keilius in suâ Medicinâ, Staticâ, britannicâ, dum ait aphorismo octavo, *diurnam perspirationem esse nocturnæ sesquialteram*, sed & validissimis quoque rationibus confirmavit. Inquit igitur supralaudatus Auctor. *Cum experimentis staticis darem operam, miratus primò resistebam, me tam parvam habuisse nocturnam perspirationem, de industriâ itaque repetivi experimentum, sed nunquam singulis horis tanta erat facta perspi-*

ratio

ratio in somno placido, quàm matutino tempore in vigiliis, etiamsi quiescerem: hinc existimavi vestimenta forsan nocte tantam imbibisse humiditatem, at sudè forsan essem delusus: Ponderavi, & vespere itaque, & mane quoque vestimenta seorsim, semper tamen detexe nocturnam perspirationem fuisse parciorem.

Verum a nonnullis fortasse dubitari posset inter hos tanta fida dignissimos viros, tantàque sedulitate usos in investigandá hujus rei veritate, quis eorum illam detexerit, sed si rationes perpendantur, non dubito, quin Sanctoriana opinio plerisque fortasse reiicienda videatur, major enim ad in vigiliis circularionis vis, majorque sanguinis velocitas ad cutim, & spirituum fluxus ad sensum tactus exercendum, uberior, quàm in dormientibus, in quibus tam parvus esse solat, ut nisi violentior arritatio ab iis percipiatur. Cum itaque constet, largiorem in fomni fieri secretionem, excretionemque potius cum paulo majori humorum appulsu ad organa secretoria, vel aacretoria, quàm cum parciori; sive ergo statuatur, vel ax extremitatibus arteriarum, vel nervorum in cuta perspirationem fieri, vel utrisque simul, semper merito fatendum erit, & præsertim tempore, quo majori copia ad cutim derivantur humores, majorem eorum fieri evacuationem, uti in vigilia.

Itaque ex his omnibus, non solùm vigiliarum, & somni necessitas apparet, ejusque ad vitam conservandam inevitabilis vicissitudo, sed vera quoque naturalis somni causa aruitur, quæ, etsi obscura nimium videatur Medicis, quorum plerique circa eam inter se dissentiunt, a mediori tamen spirituum fluxu per nervos ad sensus, motusque animalia organa repetenda videtur, sive illud accidat, quòd spiritus sint exhausti vigiliis antecedentibus,

vel

vel aliis morbosis causis, sive irretiti, sive tardius moti, quiete sensuum, & animalis motus, sive intercepti, impedito sanguinis affluxu, vel nervo, aliquo modo, a quacumque demum causâ compresso, quæ sunt omnes propemodum causæ, a quibus cùm in sanitate, tùm in morbis somnus produci potest. Quamobrem facilè ea his cognosci possunt, quæ sint conciliando somno idonea, quæ eidem impediendo; quæcunque animi spiritus exhaurire, obruere, aut impedire, ne debitâ quantitate in nervos influant, qualia sunt, longa exercitatio, potiones liquorum sulphureorum, cibi crassiores copiosè ingesti, opiata, ægritudines præcedentes, temperamentum pituitosum, & humidum dictum, aliaque hujus census, ea somnum facile inducent; quæ vero cerebrum, ac nervos vellicare, ac tendere possunt, uti graves animi curæ, dolores, & ejus generis alia, ea impediendo somno idonea potius censenda erunt.

Contingunt autem frequenter, & alia quædam inter dormiendum, quæ somnum non omninò impediunt, sed eum non mediocriter turbant, & insomnia nuncupantur, in quibus menti eadem fere repræsentari dormientibus solent, quæ nobis vigilantibus usuveniunt. Hæc in nobis fiunt, tunc, cum ab aliquâ internâ causâ (quæ innumeræ propemodum, eæque variæ esse possunt,) *oscillatorius* idem motus spiritibus imprimitur, & eodem ferè modo, quo ab externis corporibus vigiliarum tempore iis fuerat impressus; unde eadem inter dormiendum ita vividè menti aliquandò obversantur, ut perindè, ac si vigilaremus, & aliquid, aut ageremus, videremus, vel loqueremur, nobis & illud eodem modo agere, videre, & eadem loqui non solùm videamur, sed & aliquandò accidat, ut re verà, aliquid agamus, & loquamur, velut ii, qui interrogati respondent,

dent, aut è lecto surgunt, & ambulant, unde a Medicis *noctambuli* appellari consueverunt. In his, si accuratius rem perpendere velimus, adeo vehementer animus ab internâ causâ afficitur, ut non solum eadem illa percipiat, quæ aliàs, per eumdem *oscillatorum* spirituum motum percepit, sed & ipse excitatus animus eâdem fere vi, quâ in vigiliis consueverat, spiritus ad eos musculos impellat ita obeundis motibus destinatos, qui cum hujusmodi perceptionibus quoquo modo cohærent, ita ut citra etiam voluntatis imperium eos revera ad diversa munera fungenda moveri necesse sit; sed, quod mirum videri debet, hæc omnia à *noctambulis* fiunt, quin ea facere velint, aut sentiant, aut excitentur, nisi externa aliqua causa accedat, quæ eos vehementius affecerit; at quemadmodum veteri consuetudine, atque usu diuturno a naturâ comparatum esse intelligimus, ut ea nunquam animadvertat animus, quæ, vel in corpore fiunt, vel extra illud, nisi sensuum ope, quos ei tanquam rerum interpretes, ac nuncios natura dedit, ita ut homo, neque vivere, aut moveri se unquam intelligat, nisi ejus externi sensus ita sint constituti, ut ab externis corporibus facilè affici possint, ex quibus tantummodò suum vigiliæ statum cognoscere consuevit, ita quoque necesse erit, ut hujusmodi hominum animus, quoties ab internâ causâ, vel aliquid ad percipiendum excitatur, vel in corpore aliquid ad agendum impellitur; ea nunquam animadvertat, neque ii, donec eorum externi sensus feriantur, quidquid inter dormiendum agere solent, unquam intelligant, quemadmodum in delirantibus evenire quotidie cernimus, iisque, quorum animus in profundâ aliquâ meditatione defixus hæret, ut de Estasi Socraticâ veteres testantur historiæ.

Quanquam non æquè omnibus eadem accidere in-

insomniis, neque semper, sed aliquâ tantum accedente causâ, *oscillatorium* spiritibus motum conciliante credendum erit; quæ, cum multiplex esse possit, ac varia, multiplicia quoque, ac varia erunt insomnia; adeoque non solùm sanis, sed & ægrotantibus aliquando contingent, ex quibus certa in morbis quædam præsagia eliciuntur, quæ vel causam morbi detegent, vel ejusdem indicabunt eventum; in sanis verò peculiarem humorum conditionem patefacient. Nam quemadmodum pro diversâ cujusque hominis temperie, varia soles esse spirituum indoles, ita, & varius in iis erit motus *oscillatorius*, varia ad hujusmodi motum concipiendum dispositio. Itaque iis, qui temperamento siccior, fibris maximè tensis, subtilioribus humoribus, & ad velociorem motum facilius concipiendum expeditis sunt præditi, frequenter de illis rebus insomnia experientur, quibus cum violentior spirituum motus conjungitur, uti sunt armorum congressus, incendia, aspectus rerum rubrarum, & cætera hujusmodi; iis vero, qui lentos habent, & crassos humores, fibras laxas, & frigidiori corporis temperamento donati sunt, de illis potius rebus insomnia experientur, quibus cum tardior, atque iners spirituum motus conjungitur, uti aquarum, mortuorum, casuum, periculorum, atq; his similia, quæ hypocondriacis familiaria præsertim sunt. Sic quoque acutis præsertim morbis, in quibus violentior adest humorum motus, & chronicis, ubi eorum inertia ferè semper habetur, sua erunt insomnia, quæ certas præsentium affectionum conditiones denotabunt quemadmodum Galenus, & Hippocrates pluribus in locis abundè testantur. Ingesta quoque nonnulla, & medicamenta adhibita peculiaribus quibusdam insomniis causam præbere non levis est conjectura, si ea præsertim sint, quæ velociorem humoribus motum concilient, & in spi-

ritus

ritus quoquo modo agere soleant, uti opiata; a quibus suam traxisse originem non immeritò suspicari possumus, quotquot sunt commenta, quæ de Lamiis vulgò solent disseminari, quæ nil aliud revera esse possunt, quàm varia hujusmodi rerum insomnia in earum mentibus ab Unguento aliquo Narcotico, quo sese antea oblinire solant, excitata, unde dein quoque expergefactæ, se mira quædam, ac præstigiosa, vel vidisse, aut egisse affirmant, atque ita, insomniis deceptæ, muliarculis imponunt. Nam Bononiæ cum essem, constanti semper observatione comperii, virum quemdam, quoties piluiarum de Cynoglossâ aliquot grana sumpsisset, pulcherrima semper perspetasmata, & aulæa speciosissimis distincta coloribus somniasse. Quæ cum ita sint, insomnia igitur a Medicis diligenter erunt observanda, quæ non modò morborum naturam & causas patefaciunt, sed, & eventum, vel symptomata ægrotantibus imminentia aliquando præmostrant. Quare Divinus Medicinæ Parens Hyppocrates lib. de insomniis scriptum nobis reliquit -- *Quicumque hæc rectè judicare novit, magnam sapientiæ partem novit.*

Ex his itaque omnibus etiam inferre licet, insomniis agitatos, quamvis eorum corpus, æque ac in somno placido quiescat, somni tamen effectu utili semper destitui. Observamus enim ex terrore in Insomniis, totum corpus turbari, tàm in motu vitali, quàm animali, fieri quandoque ejulatus, exclamationes, agitationes membrorum ferè eodem modo, ac in vigilantibus terrore percitis; Quamobrem Insomnia, quæ in solâ cogitatione satis placidâ versantur, non multum in effectu consumendorum spirituum a cogitatione vigilantium distare videntur, quæ verò vehementer animum commovent, eadem ferè mala producere, quæ ex terrore vigilantium oriuntur. Insomnia itaque

quoad

quod ad spirituum consumptionem attinet comparari possunt, meditationibus, aliisque vigilantium mentis, & corporis exercitiis; Unde Insomniis vexati, magis se debilitatos sentient, quàm placidè, & sine insomniis dormientes. Hinc facilè erit deducere, qui somnus maximè utilis, & optimus censeri debeat, qui videlicet profundus, placidus, non interruptus, neque insomniis agitatus, & quem hilaritas animi, & corporis vigor præsertim consequuntur; contra verò quid mali faciat somnus interruptus, tumultuosus, inquietus, & turbulentus, qui malam semper causam habere solet, naturalem somni, & vigiliæ vicissitudinem perturbantem, atque omnes bonos effectus a placido somno expectandos intercipit. Quare in acutis delirium portendere solet, quia indicat se his adeò vehementiori impetu ad cerebrum sanguinem ferri, ut debita quies, vel moderatus ille motus, qui ad somnum capiendum requiritur, non concedatur; quamobrem perdurante hoc motu majore, æquabilis tandem in Cerebro circulatio turbatur; unde delirat Eger; vel ex acutorum morborum materiâ in Cerebrum delatâ, contumaces hujusmodi vigiliæ superveniunt, aut levi meningum inflammatione, vel earum Erysipelate, quibus frequentissimè deliria producuntur. In debilibus mortem præsagit, quòd iis per somnum placidum defectus ille spirituum, quo debiles maximè fiunt, non restituitur, quarè periculum est ne ex majori spirituum inopiâ tandem succumbant. Etenim in Ægrotantibus, quibus jam a morbo vires factæ sunt, adest summa causa, defectus scilicet spirituum; si igitur somnus non producitur, denotat malam irritantem latitare causam, quæ, & per se, & quia somnus non conceditur, omnem spirituum confectionem intercludit. In tubulentioribus morbi longitudinem, coctionem, & criseos perturbationem;


cum

cum enim acuti morbi materies vi vitæ sit superanda, atque extra corpus propulsanda, hæc vis somno interrupto debilitata, minus efficax erit ad ea præstanda, vel longius certè tempus erit insumendum, antequam materia subacta sit, atque expulsa. In quibusdam demum convulsionem præsagit, quia ab eâdem causâ, quâ somnus prohibetur, hic quoque morbus concitatur, atque ex somno perturbato, ac tumultuoso, nunquam debita humorum elaboratio, sed potius maxima virium jactura est expectanda.

At verò, quoniam in omnibus mediocritatem quamdam semper necessariam esse constat, ita in somno, & vigiliâ eam maximè servandam esse, non modò quotidiana testatur experientia, sed, & Hyppocratis testimonium confirmat, qui 2 Aphor. 3. ait *Somnus, & vigilia utraque si modum excesserit malum*. Quemadmodum enim somno moderato spiritus, & vires restaurantur, acuitur ingenium, coctiones perficiuntur, undè etiam humores fiunt benigniores, & animi ægritudines oblivione delentur; ita immodico somno, torpidi efficiuntur spiritus, & minus ad motum apti; inde insensibilis evacuatio parcior, segnities, & torpor Corporis, mentis stupor, & memoriæ læsio oriuntur. Humores quoque immoderato somno torpescunt, & magna excrementorum copia in universo corpore accumulatur, unde omnia, quæ ex tardiori humorum motu, & corporis quiete provenire solent mala, facilè producuntur. Vigiliæ quoque spiritus excitant, & alacriores reddunt, si fuerint moderatæ; unde vires adaugentur, alimentum distribuitur, ejus concoctio, humorum attenuatio, & excrementorum expulsio promovetur; Contra verò si immodicæ & ipsæ fuerint, spiritus dissipantur, vires languescunt, universum corpus resolvitur, atque innumera ex his quoque mala generantur.

Quam-

Quamobrem, quæ huc usque tradita sunt de somno, & vigiliâ demonstrant nostrum corpus ita a sapientissimo Conditore creatum, fabrefactumque esse, ut alternâ illa somni & vigiliæ vicissitudine semper opus sit, eaque cunctis animantibus, non modò ad vitam conservandam, sed & à morbis immunem, quoad fieri potest, traducendam sit maximè necessaria.



I. Perspira-

I.

PErspirationem in Corporibus uberiorem esse vigiliarum tempore, quàm somni, rationibus, & experimentis staticis confirmatur contra Sanctorium.

II.

Humorum Circuitum in vasculis capillaribus, tempore præsertim somni, & dum quiescunt Corpora, a vi canaliculorum attrahente maximè adjuvari contendimus.

III.

Opiata minimè conveniunt in iis morbis, in quibus vigiliæ producuntur ab acri, orto ex defectu Circulationis, & humorum inertiâ, imo noxia semper experiuntur.



DISPUTABUNTUR

PUBLICE' SENIS

I N A U L A

COMITIORUM

ANNO MDCCXLII.

Menſe JUNII Die Hora XXI.